ELISABETH SCHONAUGIENSIS. GODEFRIDUS ADMONTENSIS. ANSELMUS CANTUARIENSIS. IVO CARNOTENSIS. INSTITUTA REGUM DE IMMUNITATE ET SACRILEGIO

4. Viertel 12. Jh. Seite 23r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ab amatoribus suis pro corpore suo. Amatores habuit raab sui simi
les. iniustos homines et peccatores. quibus corpus suum prostituit. amato
res habuit et maria patrem et filium et spiritum sanctum. quibus uirginei corporis
sui integritatem consecrauit. quibus uirgineam spiritus et animae suae castitatem
omni tempore uitae suae inuiolabiliter conseruauit. Igitur sicut apud
amatores suos raab merebatur corruptione corporis sui precium quod
sibi competebat. sic beata uirgo maria ab amatoribus suis patre
et filio et spiritu sancto. in corruptione corporis sui precium illud meruit.
per quod uenundatum sub peccato genus humanum ad uitam reparari
debuit. Precium illud nobilissimum erat unigenitus dei. quem sola fuit
digna portare. et in hunc mundum generare; sanguinis enim illius precio.
facta est humani generis saluatio. Suscepit raab exploratores io
sue. suscepit et maria exploratores missos a deo patre. quorum
primus erat gabriel archangelus. qui explorator bene dei altissimi di
ci poterat. ad exploranda enim ei et desponsanda eandem beatissi
mam uirginem uenerat. Sed quomodo suscepit eos. Suscepit eos. fideliter
uniuersa credendo. que dicebantur ei ab angelo. Suscepit etiam explo
ratores dei. pastores uidelicet qui ad eam in ipso partu uenerant.
ut explorarent si uerum esset quod super natum saluatorem. angelica
multitudine attestante didicerant. Dicebant enim. Transeamus
usque bethlehem et uideamus hoc uerbum quod dominus ostendit nobis. Non
ne qui hec dicebant. exploratores iure dici poterant. Suscepit et alios
exploratores dei. tres uidelicet illos reges. qui ad inuestiganda ue
neranda et adoranda natiuitatis christi misteria. stella duce uene
runt ab oriente. Omnes exploratores istos beata uirgo maria
non solum suscepit. sed et in solarium domus suae ascendere fecit. Susce
pit eos. omnia uerba eorum fideliter audiendo. abscondit eos in
solario domus suae. hoc est in superiori cordis sui omnia diligenter
colligendo. Sic enim de illa dicit euangelium. Maria autem conser
uabat omnia uerba hec conferens in corde suo. Sic erat thamar
sic erat et raab. Sed et in ruth aliquid inuenire possumus. quod ad eandem
dei genitricem satis congrue referendum credimus. Erat ruth in se